



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

Veken, Frans van der

Coloniae, 1644

§ 7. De oblatione Calicis. & orationibus adjunctis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9878

dum actum purum & infinitum ; non per speculum & enigma, sed immedia-
tè sicuti in se est. De triplici hoc nexu
videri plura possunt apud D. Bernar-
dum a hom. 3. in vigilia Nativitatis Do-
mini , & iterum in sermone de tribus
mixturis. Poterit autem Sacerdos, dum
orationem hanc recitat , ex mixturis
tam admirandis primam & secundam
iam factam credere : ad tertiam in se
populoq; complendam spe adspirare.
a Serm. 2. in Natal. Domini.

§. VII.

*De oblatione Calicis, & orationibus
adiunctis.*

QVIA INCRUENTUM Legis nouæ Sa-
crificium , licet vnicum sit, dua-
bus tamen partibus constat : Corpore
scilicet Christi sub speciebus panis , e-
iusque sacratissimo Sanguine sub vini
speciebus : hinc Sacerdos interdum v-
nitatis memor , per modum vnius v-
trumque

trumque offert , interdum ratione pár-
tium oblationem diuidit. Atque hac
diuisione nunc vtitur, quando post pa-
nem seorsim oblatum, procedit ad ob-
lationem calicis ; vel potius oblatio-
nem sanguinis, sub vini speciebus mox
futuri præoccupat , quemadmodum
§. 5. de oblatione panis dicebamus.
Idq; haud leuiter confirmatur , quod
Sacerdos dicat : *Offerimus calicem sa-
lutaris* , id est , salutis ac redēptionis
nostræ : hæc namque adscribi non po-
test calici pro præsenti statu, quem ante
consecrationem obtinet, sed pro futu-
ro , quem illius virtute consequetur.
Dicit porrò in plurali, *Offerimus*: quia
non suo tantum , sed etiam populi no-
mine offert. Precatur denique , *ut*
in conspectu diuinæ Maiestatis in odo-
rem suauitatis adscendat : quorum ver-
borum singula , phrasî in sacris Literis
vſitata , illam oblationis gratiam apud
Deum designant , quam Sacerdos po-
pulusq; exoptant.

Se-

Sequitur breuis precatio, *In spiritu humilitatis*, quæ alia commendatione stimuloq; pietatis non eget, quām quod decerpta sit ex longiori illa oratione, quam medias inter flammas fornacis Babylonicæ concepit Azarias *a.* Dei causa cum duobus socijs in easdē connectus, ijsq; non obstantibus aperto liberoq; ore miraculosè pronunciauit. Hac verò parte tam suo, quām sociorū nomine diuinam Maiestatem precabatur, ut loco incensi, oblationis, veriq; sacrificij, quæ Hebræis in Babylone captiuis præstare non licebat, dignaretur suscipere mysticum sacrificium, tam *spiritus humiliati & contriti*, quām presentis martyrij, ad quod cum socijs se obtulerat: eoq; placatus populum afflictum clementer respicere, & ex manibus hostium liberare. Quem affectum facile pius Sacerdos ad rem præsentem accommodabit: non quidem substituendo sacrificium mysticum.

a Dan. 3.

cum contriti cordis a , in locum veri sacrificij, sed huic coniungendo. Idque eò impensiūs, quòd hæc oblatio adhuc pertineat ad speciem propitiatoriam , de qua diximus §. 4. concludendam demum cum lotione manuum, de qua in §. 9.

Tertia Oratio , *Veni Sanctificator* . dirigitur tum ad omnes personas diuinās , tum speciali titulo ad Spiritum Sanctum , cui per figuram dictam Theologis Appropriationem tribuitur consecratio Corporis & Sanguinis Christi : haud aliter , quām ipsa Verbi Incarnatio. Id inter alios Patres præclarè annotauit S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa , cap. 14. vbi , postquam ostendit ea , quæ naturam superant , in Spiritus Sancti operationem referri , hæc subdit: *Quo tandem modo fiet istud? aiebat sancta Virgo: quoniam virum non cognosco. Respondit Archangelus Gabriel:*

Spi-

a Psal. 50.

Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc queris: quomodo panis corpus Christi, & vinum cum aqua coniunctum sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo: Spiritus Sanctus superuenit, eaq[ue] efficit, quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt. Hunc igitur omnis sanctificationis fontem presenti oratione imploramus, ut suis potentiae ac bonitatis gressibus aduenire dignetur, & non solum sacrificium iam præparatum perficere, sed sua etiam erga nos benedictione complere. Dicitur autem Sancto eius nomini præparatum: quia honor & gloria Sacrificij soli Deo defertur.

§. VIII.

Designo Crucis.

IN postrema oratione Sacerdos ea, quæ obtulit, Cruce signat, vt Deo repræsentet Christi merita, quæ in Cru-

ce